



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio II. In quonam formaliter consistat Providentia Divina ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

ad illud maxime pertinet illius curam gerere, ut secundum illas leges vivat; siquidem ad opificem pertinet curare suum opus, ut perfectum evadat; & ad legislatorem, ut leges, quas suis subditis imponit, ferventur; parentisque interest quomodo se gerant filii; Deus autem omnium est parens.

18. Difficultas 2. Utrum Providentia actualis sit in Deo necessario? Dico 1. Providentia actualis non est necessaria in Deo simpliciter, & absolute. Probatur; quia huiusmodi Providentia actualis non est in Deo, nisi in ordine ad creaturas actualiter existentes; sed nulla creaturarum necessario existit; ergo earum Providentia actualis in Deo non est necessaria simpliciter, & absolute.

19. Dico 2. Supposita rerum creatione necessario datur in Deo earum actualis Providentia, tam quoad cognitionem, quam quoad volitionem. Probatur prima pars, quia supposita rerum creatione, & existentia, tales res sunt scibiles a Deo; ergo Deus non potest non habere earum cognitionem; aliter Cognitio Divina non esset comprehensiva. Probatur secunda pars, quia supposito, quod Deus voluerit eas esse in rerum natura, non potest non velle illis media preparare, & exequi ad finem consequendum, ad quem eas produxit, & suo influxu conservare, cum illis que ad operationes concurrere; ergo &c.

20. Difficultas 3. Quid sit Providentia? Dico 1. Providentia ex vi nominis duplicem habet significationem; aliquando enim idem valet, atque aliquid futurum, antequam fiat, praevidere, & prout sic idem est *Providentia*, atque *Prævidentia*, seu *Præscientia*, & proprie futurorum eventuum cognitionem significat; aliquando autem *Providere* idem significat, quod alicui prospicere, curam alicujus habere, sive *pro aliquo*, seu *in favorem alicujus videre*, qua ratione Cicer. dixit: *Providere omnibus qua necessaria videbantur*.

21. Dico 2. Providentia in presenti accipitur pro singulari mentis curâ, quam Deus mediante Intellectu, & Voluntate sua, de rebus creatis ad suum finem dirigendis habet, & prout sic definitur à D. Thom. hic art. 1. & 2. *Ratio ordinis rerum in finem in Deo existens*. Cum autem Providentia prout sic actum intellectus simul & voluntatis involvat, aut connotet, quatenus necesse est, ut ratio ordinis rerum in finem ab intellectu concipiatur, & à voluntate approbetur, controversum est, an Providentia formaliter, & directe sit actus Intellectus, an verò Voluntas Divina, an uterque simul? pro quo sit:

SECTIO II.

In quonam formaliter consistat Providentia Divina?

22. **D**IFFICULTAS I. Qualisnam sit ratio formaliter constituens Providentiam divinam? Variæ sunt Doctorum Sententia: Prima asserit, Providentiam divinam formaliter consistere in actu Intellectus, quem dicit in recto, & solum in obliquo, & extrinsece connotare actum voluntatis. Ita D. Thom. q. 22. art. 1. Caiet. & Bannez hic. Durand. in 1. dist. 41. q. 1. n. 9. Capreol. dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. Richard. in 1. dist. 39. q. 1. art. 2. Aureol. in 1. dist. 40. q. unic. a. 2. & dist. 41. q. 1. art. 3. Marfil. in 1. q. 41. art. 1. P. Mol. 1. p. d. 1. q. 22. art. 1. d. 1. P. Valent. ibid. punct. 1. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber arbit. cap. 9. P. Fons. 3.

Met. lib. 6. cap. 2. quaest. 5. quos citat, & sequitur P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 1. dub. 1. num. 8. quorum fundamenta infra ponemus, & dissolvemus.

Secunda sententia affirmat, Providentiam divinam formaliter consistere in actu voluntatis. Ita D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Scot. q. 1. in princip. Avimin. in 1. dist. 40. D. Damascen. lib. 2. de Fide cap. 29. P. Less. de Prædestin. sect. 1. P. Vafq. 1. p. d. 87. cap. 3. n. 11. & ut probabile tenet P. Arriaga 1. p. d. 32. sect. 1. subsect. 2. num. 17. & alii apud citatos, quorum fundamenta infra dissolvemus.

Tertia sententia, quam sequitur tenet Providentiam divinam formaliter consistere in utroque actu, tam Intellectus, quam Voluntas divinae. Ita P. Soar. 1. p. lib. 1. de Prædestin. cap. 17. num. 12. P. Molin. q. 22. art. 1. d. 1. §. Quod si petas, & q. 23. d. 2. §. Statuenda est. P. Becan. tom. 1. sum. cap. 14. q. 2. Alens. 1. p. q. 26. Tarentasia, & Aquila, quos citat, & sequitur P. Herice 1. p. 17. art. 3. d. 22. cap. 6. n. 50. P. Arrub. 1. p. q. 22. art. 1. d. 63. cap. 3. P. Arriaga 1. part. d. 32. sect. 1. subsect. 2. num. 18. & ex Recentioribus plures. Probatur primo, quia cum Providentia in Deo detur, ut diximus, debet in aliquo formaliter consistere, per quod formaliter constituatur; sed non ita consistit in sola Cognitione divina; non in cognitione connotante actum voluntatis; non in solo actu voluntatis; non in ipso actu voluntatis præsupponendo actum Intellectus, aut illum connotante; ergo in utroque simul formaliter consistit, cum aliud non appareat, in quo ita consistat.

Probatur secundò, quia illud formaliter aliquid constituit, sine quo ipsum constitutum primariò, & formaliter non intelligitur, ut patet in animali, & rationali respectu hominis; sed Providentia divina non ita intelligitur, nisi posito utroque actu; siquidem cum sit divina, ideoque perfectissima, debet habere certitudinem, & cognoscere proportionem mediorum cum fine, aliter non bene disponderet media ad finem; hoc autem sit per actum intellectus; & si Deus id haberet, & media non disponderet, & applicaret ad finem assequendum, non haberet Providentiam; applicat autem per actum voluntatis; ergo in utroque actu simul consistit formaliter ejus Providentia.

Argues 1. pro prima sententia D. Dionys. de Divin. nomin. cap. 12. Veritas, ait, prospicit cuncta providentia mirabili: prospicere autem est actus Intellectus. Deinde Boëtius lib. 4. de Consol. profa 6. Modus rerum, inquit, cum in ipsa divina Intelligentia conspiciatur, Providentia nominatur. Item D. Aug. lib. 83. quaest. quaest. 31. explicans partes prudentia, inter illas apponit Providentiam: Providentia est, inquit, quâ aliquid videtur futurum, antequam factum sit. Similiter D. Thom. quaest. 22. art. 1. Providentiam explicat per actum mentis; ergo in solo actu Intellectus formaliter consistit. Respondeo ita consistere si sermo sit de Providentia inadæquate sumptâ, in quo sensu intelligendi sunt citati Patres; non autem de Providentia sumpta adæquate, sic enim in utroque actu simul formaliter consistit, ut diximus.

Argues 2. Providere, ut diximus, idem est atque ante videre, seu praevidere, & ordinare aliquem in finem; sed hæc ad Intellectum spectant, ejus est praevidere, & ordinare; ergo Providentia consistit formaliter in actu Intellectus. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam, si sermo sit de Providentia sumpta adæquate.

Argues

28. Argues 3. Essentia relationis tota salvatur in fundamento, licet etiam connotet terminum; ergo etiam tota essentia, sive ratio formalis adaequata Providentiae salvabitur in solo actu Intellectus, licet connotet actum voluntatis. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia cum relationis effectus sit referre, & id solum in fundamento praestet, & non in termino, idem in solo fundamento salvatur tota ejus ratio formalis, ut patet in Paternitate divina, quae tota est in Patre: at verò Providentia divina habet pro effectu & proportionem mediorum cum fine attingere, quod ad Intellectum spectat, & illa exequi, & applicare ad ipsum finem assequendum, quod est proprium voluntatis, ideoque in utroque eorum actu formaliter consistit, & non in solo actu Intellectus.

29. Argues 4. Si Deus nihil creasset, adhuc haberet Attributum Providentiae; siquidem omnia Attributa sunt Deo essentialia, & independentia ab existentia actuali creaturarum; sed tunc solum habet actum Intellectus; ergo in illo tantum consistit Providentia. Ante solutionem advertes, duplicem in Deo esse Providentiam, sive dupliciter considerari: Una est in actu primo, & quasi remota, quae consistit in scientia perfecta mediorum, & eorum congruentia cum fine, simul & in potentia exequendi omnia: alia est Providentia actualis, & propria, quae consistit, aut in actuali productione mediorum, dispositione, &c. aut saltem hanc requirit, quae prout sic non est independentis à creaturarum existentia: Hoc posito.

30. Respondeo in facta suppositione, adhuc Deum habiturum Providentiam absolutam, remotam, sive in actu primo, licet non haberet proximam, & actuale, defectu creaturarum, quas requirit, ut objectum secundarium suorum actuum internum. Patet ab exemplis in suo actu libero; & in Omnipotentia respectu possibilium.

31. Argues 5. In sacris litteris multoties promittitur, petitur, aut narratur Dei Providentia nominibus significantibus cognitionem, quale est: Primò verbum *videndi* ut patet ex illo Gen. 22. *In monte Dominus videbit.* Et Gen. 16. *Tu Deus, qui videris mihi.* Et Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei.* Et Threnor. 1. *Vide Domine afflictionem.* Secundò verbum *oculorum*, ut patet ex illo Prov. 22. *Oculi Domini custodiunt scientiam.* Et psal. 10. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Et Job. 34. *Oculi ejus super vias hominum.* Tertiò verbum *respiciendi*, ut patet ex illo Exod. 2. *Respexit Dominus filios Israël.* Et cap. 4. *Quod respexisset afflictionem.* Et cap. 14. *Respiciens Dominus super castra Aegyptiorum.* Et psal. 21. *Deus Deus meus respice in me.* Et psal. 79. *Respice de Caelo, & vide.* Quartò verbum *judiciorum*, ut patet ex illo Rom. 11. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Et Prov. 16. *Pondus, & statera judicia Domini.* Et cap. 29. *Judicium à Domino egreditur singulorum.* Et Sap. 17. *Magna sunt judicia tua Domine.* Et Apoc. 15. *Judicia tua manifesta sunt.* Et cap. 16. *Vera, & justa judicia tua.* Et psal. 7. *Dominus judicat populos.* Quintò verbum *recordationis*, ut patet ex illo Gen. 8. *Recordatus Dominus Noe.* Et cap. 9. *Recordabor fœderis mei.* Et Threnor. 5. *Recordare Domine, quid acciderit nobis;* sed verba hujusmodi ad actus Intellectus spectant; ergo Providentia in solo actu Intellectus formaliter consistit. Respondeo dato quod locis citatis loquatur Sacra Pagina de Providentia Dei, & quod per illa verba solus actus Intellectus significetur, solum ibi loqui de Providentia Dei inadæquatam, prout supra diximus, non autem

Tom. I.

adæquatam, sic enim utrumque actum & Intellectus, & Voluntatis formaliter includit.

Argues 6. Cujus negatio est ignorantia, positiva forma est scientia, sive Intellectio; sed Providentia privatio est ignorantia, ut patet ex illo Ecclesiast. cap. 5. *Neque dicas coram Angelo, non est Providentia.* Ubi Septuag. *Ne dicas, quia est ignorantia.* Et ex illo psal. 93. *Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob;* ergo ipsa Providentia est scientia, sive Intellectio; consequenterque in illa formaliter consistit. Respondeo ex hoc ad plurimum solum probari, Providentiam inadæquatam consistere in actu Intellectus, quod non negamus, sed addimus etiam sic consistere formaliter in actu voluntatis.

Obijcies 1. pro secunda sententia supra num. 23. Ex D. Damasc. lib. 2. *Fidei cap. 29. Providentia, ait, est voluntas Dei, per quam omnia, quae sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Et infra: *Factiva ejus virtus, & contentiva, & provisyva, bona ipsius voluntas est.* Et post pauca: *Ut igitur bonus provider: bonitas autem ad voluntatem spectat.* Et Nemesius sic definit Providentiam: *Providentia, inquit, est Dei voluntas, per quam omnia, quae sunt, apte gubernantur, lib. de Facult. anim. cap. 43.* ergo &c. Respondeo D. Damascen. & Nemesium solum attendere ad illud, quod movet, ac determinat indifferentiam Libertatis divinae, ut provideat, non autem intendere assignare completam, & adæquatam rationem providentiae, sed ad plurimum inadæquatam.

Obijcies 2. Providentia est cura de omnibus, ut patet ex illo Sap. 6. *Aequaliter est illi cura de omnibus.* Et 1. Petr. 5. *Quoniam ipsi est cura de vobis;* Sed cura potissimum est actus voluntatis, ut ait D. Damascen. ubi supra: *Providentia, inquit, est in ea, quae sunt cura:* Et rursus: *Providentia est voluntas;* ergo &c. Respondeo providentiam vocari nomine curae, quia Deus nihil omittit ad Universi perfectionem pertinet, quod ex citatis locis tantum colligitur; non autem ostenditur in hac Universi cura, prout spectat ad actum voluntatis, consistere adæquatam, sed ad plurimum inadæquatam rationem providentiae.

Obijcies 3. Providentia est causa efficax sui effectus; ergo debet consistere in illo actu, qui confert efficaciam, & causalitatem; sed hanc confert potissimum actus, sive decretum voluntatis; ergo &c. Respondeo argumentum ad plurimum solum probare, Providentiam consistere etiam, non autem tantum in actu voluntatis.

Obijcies 4. Providentia non est naturalis, & necessaria, sed simpliciter libera; atque Scientia mediorum, & finis non est libera, sed simpliciter necessaria, & naturalis; decretum autem voluntatis est simpliciter liberum; ergo in illo consistit formaliter providentia. Respondeo scientiam mediorum, & finis, ut possibile, non esse liberam, sed simpliciter necessariam: at verò Scientiam mediorum, & finis, quae dicitur operi mandanda fore de facto, esse liberam propter libertatem, sive contingentiam objecti, quod voluntas liberè elegit, sicque adhuc providentia, prout includit actum Intellectus, est simpliciter libera.

Obijcies 5. Ad explicandas plures difficultates providentiae semper agitur de actibus voluntatis potius, quam Intellectus; ergo verisimilius est, Doctores de providentia disputantes, ejus nomine potius actum voluntatis, quam Intellectus significare. Respondeo dato, quod ad aliquas difficultates providentiae

V

expli-

explicandas Doctores recurrant potius ad actus voluntatis, quam Intellectus; multas etiam esse, ad quas explicandas potius ad actus Intellectus, quam voluntatis recurrunt, sicque tam in his, quam in illis consistit formaliter providentia.

38. Difficultas 2. Qualisnam sit actus ille Intellectus, in quo formaliter inadaquate consistit providentia? Ante resolutionem advertes primò, quosdam, ut persuadeant, providentiam in solo actu Intellectus consistere, recurrere ad quoddam imperium dicens *Fac hoc*, & ad Intellectum spectans, quod dicant dari in omni agente per intellectum, ad productionem omnium rerum, quas vult, & in eo consistere totam providentiæ essentiam. Non placent primò, quia tale Imperium non est necessarium, nam si ponatur, debet esse post determinationem efficacem voluntatis, nè tollatur libertas, ut statim dicemus; tunc autem superfluum est; siquidem ea volitio efficax præsupposita omnino sufficit, ut potentia executiva determinetur. Secundò, quia tale Imperium, si esset ante voluntatem liberam, tolleretur omnino libertatem; siquidem illud non esset formaliter liberum, & illo posito, non potest non esse effectus, quod est tollere libertatem; hoc autem est impossibile.

39. Advertes 2. P. Herice d. 22. cap. 4. admittere in creatis post primam volitionem liberam aliquos actus iudicii, quos vocat imperium, quibus intellectus quasi animatur, & hortatur voluntatem, ut maneat constans in suo proposito, & exequatur objectum volitum & similes dicit dari in Deo, demptis tamen imperfectionibus suasionis, & hortationis, quibus Deus non indiget, & hos actus dicit etiam in Deo esse imperium.

40. Non placet primò, quia dato quod in creatis dentur tales actus, quatenus voluntas aliquando, quasi territa difficultatibus, cessaret à volitione, si intellectus ei non proponeret rationes aliquas novas, quibus illam hortaretur, eique suaderet, falsò supponit tales actus dicendos esse imperium; aliud enim dicimus consulere, & animare, & aliud imperare. Secundò, quia nullo modo tales actus possunt in Deo poni; siquidem post Scientiam Simplicis Intelligentiæ, quæ novit honestum esse hominem v. g. creare, & id decrevit efficere, non apparet qui actus iudicii sequatur, quidve ille Deo diceret, cum enim Volitio Dei semel habita non possit retractari, nihil debet admitti, non solum quod sit suasio, sed neque per modum suasionis. Hoc posito.

41. Conclusio sit: Actus Intellectus inadaquate constituens providentiam Divinam, non est imperium aliquod, sed iudicium, sive cognitio de proportionem mediorum ad finem. Ita P. Mol. 1. p. q. 23. art. 1. d. 2. P. Soar. in Met. d. 19. sect. 6. & 7. & 1. p. lib. 1. de Prædest. cap. 16. à n. 4. P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 3. & d. 81. cap. 2. & 1. 2. d. 49. cap. 4. P. Tanner. hic d. 3. q. 1. dub. 1. n. 9. P. Arrub. hic d. 63. cap. 3. num. 12. P. Preposit. q. 22. art. 1. num. 6. P. Hurt. de Anim. d. 14. sect. 8. P. Coninck de Actib. d. 12. dub. 5. P. Arriaga hic d. 32. sect. 1. subsect. 1. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 1. num. 5. & alii. Probatur primò, quia posito tantum hoc Iudicio, sive cognitione de proportionem mediorum ad finem, & quocumque alio sublato, intelligitur providentia divina quoad illam partem, secundum quam constituitur formaliter per actum Intellectus; ergo &c.

42. Probatur secundò, quia talis actus in Deo est superfluous; ergo non est in Deo admittendus.

Probatur antecedens: Primò, quia non requiritur, ut voluntas Divina determinetur ad volendum, quia potius imperium supponit liberam determinationem voluntatis, quam è contra. Secundò, quia tale imperium aut prærequiritur ad omnem determinationem voluntatis; aut ad aliquas. Non primum, aliter cum ad omne imperium prærequiratur determinatio voluntatis, dabitur processus infinitus, aut necessariò admittenda esset volitio efficax, quam non præcesserit imperium, quæ fillo non indiget, non illo etiam aliæ indigebunt. Non secundum, quia si aliqua non indigent tali imperio, neque sic indigebunt omnes, cum de omnibus eadem sit ratio.

Tertiò, quia tale imperium aut requiritur ad actionem immanentem voluntatis; aut ad transeuntem, & ut Deus exequatur operationem suam ad extra: Non primum, ut patet ex dictis: Non secundum; tunc quia operatio Dei transiens necessariò resultat ex illius voluntate efficaci; tunc etiam non minus requiritur directio rationis ad actionem immanentem voluntatis, quam ad transeuntem; ad illam autem non requiritur imperium rationis; ergo neque ad istam.

Quartò, quia imperium est locutio; sed hæc non potest dirigi ad res non existentes; neque enim Deus propriè loquendo alloquitur res nondum existentes, illis imperando, ut in lucem prodeant; ergo &c. Confirmatur, quia adhuc res insensibiles, & irracionales existentes sunt incapaces audiendi locutionem divinam; ergo imperium gubernans non poterit illas alloqui.

Quintò, quia nos experimur nullo imperio indigere ad nostras operationes transeuntes; ergo multò minus illo indigebit Deus. Confirmatur primò, quia bruta per appetitum sensitivum se movent absque ullo alio imperio, & suas operationes exequuntur; ergo à fortiori id habebunt rationalia. Secundò, quia admissio tali imperio in Angelis, & hominibus, adhuc illo Deus non indigeret; siquidem ideò in illis admitteretur, ut imperum eorum voluntatum intimatione quadam deferret facultatibus exsequentibus; sed id non daretur in Deo, utpotè in quo nulla datur facultas distincta à voluntate; ergo &c.

Sextò, quia Deus non imperat sibi, ac suæ potentia operativa, quia talis potentia non est inferior, neque subiecta: neque imperat creaturis; siquidem prout sic non sunt capaces imperii propriè, sed tantum metaphorice; ergo tale imperium ut superfluum non est in Deo admittendum.

SECTIO III.

Rejicitur huiusmodi imperium ex eo, quod sit impossibile in Deo.

Primò, quia impossibilis est actus potentia intellectiva qui non sit intellectio; sicut impossibilis est actus potentia volitiva, aut visiva, qui non sit volitio, aut visio; sed omnis intellectio, sive cognitio, aut est pura apprehensio, quæ non datur in Deo, ut diximus in philosophia tom. 1. tr. 5. d. 2. num. 62. aut est iudicium; ergo impossibilis est actus in intellectu divino, quod non sit iudicium, sed per modum imperii.

Dicent talem actum imperii fore puram apprehensionem. Sed contra primò, quia pura apprehensio